

*In misericordia sempiterna,
redemptor tuus Dominus misertus est tui.*

Léctio libri Isaíæ prophétæ

54, 5-14

- ⁵ Qui fecit te, erit sponsus tuus,
Dóminus exercítuum nomen eius;
et redémptor tuus Sanctus Israel,
Deus omnis terræ vocábitur.
- ⁶ Quia ut mulierem derelíctam et mæréntem spírítu
vocávit te Dóminus,
et uxórem ab adulescéntia abiéctam
dixit Deus tuus.
- ⁷ Ad punctum in módico derelíqui te
et in miseratióibus magnis congregábo te.
- ⁸ In moménto indignatiónis
abscóndi fáciem meam parúmper a te
et in misericórdia sempitérna misértus sum tui,
dixit redémptor tuus Dóminus.
- ⁹ Sicut in diébus Noe istud mihi est,
cui iurávi, ne indúcerem aquas Noe ultra supra terram;
sic iurávi, ut non iráscar tibi
et non íncrepem te.
- ¹⁰ Montes enim recédent,
et colles movebúntur,
misericórdia autem mea non recédet a te,
et fœdus pacis meæ non movébitur,
dixit miserátor tuus Dóminus.
- ¹¹ Paupércula, tempestáte convúlta
absque ulla consolatióne,
ecce ego sternam super carbúnculos lápidés tuos
et fundábo te in sapphíris;
- ¹² et ponam iáspidem propugnácula tua
et portas tuas in lápidés pretiósos
et omnes términos tuos in lápidés desiderábiles.

¹³ Unívěrsi filii tui erunt discípuli Dómini,
et magna erit pax filiis tuis;

¹⁴ in iustítia fundáberis.

Procul eris ab oppressióne, quia non timébis,
et a pavóre, quia non appropinquábit tibi.

Verbum Dómini.